

**Dissertatio inauguralis medica qua quaedam de nervo intercostal[i]  
notantur ... / [Johann Gerold].**

### **Contributors**

Gerold, Johann.  
Schmidel, Casimir Christoph, 1718-1792.  
Universität Erlangen.

### **Publication/Creation**

[Erlangae] : [Typis Tetzschnerianis], [1754]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zuc6wtu6>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
QVA  
QVAEDAM DE  
NERVO INTERCOSTALI  
NOTANTVR

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
FRIDERICO

MARGGRAVIO BRANDENBURGICO PRUSSIAE SILESIAEQVE DV  
CAET. BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI CAET.  
CIRCVLI FRANCONICI SVPREMO CAMPI MARESCHALLO ET  
TRIVM LEGIONVM ATQVE COHORTIVM PRAEFECTO

---

EX CONSENSV ILLVSTRIS ET GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE

D. CASIMIRO CHRISTOPHORO SCHMIEDELI

SERENISS. MARGGR. BRAND. CVLMB. A CONS. AVL. MED. ANA  
ET BOTAN. P. P. ORD. ACAD. IMPERIAL. NAT. CVR. ET SOCIET  
BOT. FLORENTINAE SOD. FAC. MED. H. T. DECANO

IN ACADEMIA FRIDERICIANA ERLANGENSI

PRO DOCTORIS

GRADV PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS RITE CONSEQVENDIS

AD D. IANVAR. MDCCLIV.

ERVEDITORVM EXAMINI SVBIICIT

AUCTOR ET RESPONDENS

IOHANNES GEROLD

GIENGA - SVEVVS.




58700 (9)







Q. D. B. V.



§. L

roposuimus equidem nobis, hac tractatione specialia saltem quaedam de Neruo Intercostali in medium proferre; attamen necessarium omnino iudicamus, ut generalia, ad Nerui huius historiam distributionemque pertinentia, succincte praemittantur. Difficulus enim vel imperfecte intelligerentur ea, quae dicenda a nobis sunt, si penitus silentio premeremus integrum eorum nexum. Conducit etiam dignissimi Nerui, et qui ex nobilissimarum Corporis humani partium censu est, memoriam quo-





vis modo renouare, et obseruationibus qualibuscunque illustrare, cum natura, sicut alibi, et circa hanc partem, non adeo sibi constans sit, vt vno eodemque modo semper procedat. Quamuis igitur plenissimam Nerui Intercoastalis Historiam et descriptionem contexere, non permittant limites nobis praescripti; dabimus tamen eam, qualem pro breuitate nostra et scopo praesente sufficientem credimus, et qualem praesertim propria in cadaueribus instituta obseruatio nobis subministrat.

## §. II.

Satis notum esse putamus, Scriptores Anatomicos circa statuendam Nerui Intercoastalis originem in partes abiisse etiam nostris adhuc temporibus. Quidam viri grauissimi in Par nervorum cranii sextum, Abducens dictum, solum, originem eius deuoluerunt. Alii Par nervorum eorundem quintum, quod Diuisum nominatur, diuerso tamen respectu in eundem collimare ortum dicunt. D. PRAESES ante sexennium fere peculiari scripto a) eam sententiam generatim tuitus est, Par nempe quintum certissime ad Nerui Intercoastalis conformationem suas tribuere partes b), neque cuiquam secus sentienti molestus fuit. Et cum ad manus ipsi essent exempla aliquot picta, in quibus nerui ophthalmici, siue rami primi paris quinti, situs et habitus in sinu Durae Meningis ophthalmico peculiare continentur, ipsorum ope ob oculus posuit, quomodo eorum sententia enasci potuerit, qui huius etiam rami concursum ad Intercoastalem neruum admittunt; eadem ideo fusius descripsit, et

a) In Epistola Anatomica, qua de controuersa nerui Intercoastalis origine quaedam differuntur. Erlangae 1747.

b) loc. cit. pag. 8. pag. 23. et p. 27.





et ad explicanda quaedam phaenomena in vsum vocavit. Ultra haec vero totius Canalis Carotici et contentarum partium figuram simul exhibuit, inter quas etiam ea est radix Interco-  
stalis nervi, quae a secundo ramo Paris quinti accedit, quam vero non nisi ex inuolucro Canalis Carotici procedentem c) tunc exhibuit, breui vero postea ex origine sua deductam publice demonstraui, vt eius rei plures supersunt testes. Haec tamen ipsa EIDEM, nescimus quale odium pepererunt, adeo vt aliquis in scripto, ultra anni spatium postea promulgato d), eam ob causam rudi plane et indigno modo ILLVM adorsus sit. Iste interim quibusuis suis criminationibus et falsis imputatis efficere non valuit, vt aliam potuerit Neruo Interco-  
stali adsignare originem, quam quae a D. PRAESIDE iam confirmata fuerat, a Quinto nempe et Sexto Pari coniunctim sumto, neque aliam radicem de nouo in medium proferre, quae in EIVSDEM figura non iam indicata exstaret. Nos equidem, qui neque inuectiuas neque diffamationes componere in animo habemus, plebeculae non adeo similes euadere volumus, vt vel conuicia conuiciis repellere, vel iniustas iniurias paribus reprimere suscipiamus, suo potius Auctori cunctas istas acerbitates lubenter relinquimus, et satis de hac re nos locutos esse putamus.

### §. III.

Nervus igitur Intercoastalis in ipso sinu ophthalmico ex Pari sexto Neruorum Cranii modo simplici modo duplici ra-

A 3

dice

c) Hinc eam non ex inuolucro ortam statuit, vt ipsi falso tribuitur, sed eadem innocente locutione vsus est, qua vasa maiora ex Pericardio, funiculum spermaticum ex Peritonaeo etc. procedere dicimus.

d) Dissertatione nempe: *De quinto Pare Neruorum Cerebri* 1748.



dice oritur, quae mox supra ipsum Carotidis internae truncum, plerumque vero eo in loco posita est, ubi Par sextum Arteriam hanc relinquere incipit, et vario flexu descendit per eundem canalem, in quem Arteria cerebrum petens sese insinuauit. Quae deinde ex ramo Paris Quinti ophthalmico huc relata sunt haecenus, cum de iis adeo acriter decertatum sit, in medio relinquimus, veritatis non partium studiosi. Quamuis enim optimo iure aliquis regerere posset, positionem vnus rei non absolute inuoluere exclusionem alterius, dein summa huius rami proximitas et connexio cum dictis locis, tandem phaenomena quaedam, infra plenius a nobis recensenda, non parua huic sententiae addere possint momenta; fatius tamen ducimus, tradere cuiuslibet seduli et cauti obseruatoris iudicio, num ea tantae dignitatis iudicare velit, quae aliquam mereantur considerationem, vel huc in censum amplius venire possint. Tandem Intercoastali neruo per canalem Caroticum descendenti adsociatur propago posterioris rami maxillaris nerui superioris, quae in secunda circiter Carotidis internae adscendentis flexura, modo paullo altius modo profundius, canalem iam dictum intrat, et circa primam Arteriae eiusdem flexuram Neruo Intercoastali permiscetur, prout id a D. PRAESIDE in supra dicta figura iam notatum est e). Ipsa tamen haec propago non semper tota in neruum Intercoastalem impenditur, sed interdum bifida est, et vnus saltem eius ramus Intercoastali cedit, alter vero Carotidis flexuram oblique emensus, et parieti Canalis carotici opposito propior factus, iterum in  
ramos

e) Vide Epistol. Anat. supra citat. Fig. I. lit. n. n.






ramos discerpitur, eosque tres subinde, quorum medius maxime notabilis per propriam in canali dicto aperturam ad cavum usque tympani pertingit, et ibidem non solum sursum ramulos aliquos dimittit, circa cellulas, sub quibus corpus Cochleae absconditum latet, in perioestio distributos, sed et alios rectiori magis via versus foramen rotundum Cochleae delatos: quin etiam denique adhuc amplius diuagatur, et inter alia durum os penetrans, ipsi tympano inseruit per ramum satis insignem, qui ad fulcum annuli, in quo tympanum haeret, amandatur. Vnicum hoc exemplum, cuius usum infra commodum nobis faciemus, probationi quoque inferuire potest, fibras nerueas, circa haec loca passim occurrentes, ulteriori et curatissima indagine dignissimas, nec statim pro faragine filorum pronunciandas esse.

#### §. IV.

Recuperamus autem filum tractationis nostrae, et notamus, Nervum Intercostalem ex descriptis hisce (§. praeced.) radicibus collectum, rubicundum mollemque funiculum constituere, et plerumque anteriorem Carotidis superficiem tenere, usque dum sensim versus posteriora deflectit, et exitum ex ipso ossis temporum canali, quo inclusum hucusque fuit, parare incipit, sub quo ipso, crasso quodam inuolucro inuestitur. Inuolucrum equidem illud a Dura Matre simul, non vero vnice conflatum videtur, sed etiam ex concursu plurium ibi haerentium truncorum nerueorum formatur. Supremum enim supino, anteriorem vero erecto homine, locum tenet Par neruorum Cranii nonum, quod Linguale communiter vocatur, transuersa directione Carotidem et subiacentes partes





tes transgreditur, et in ipso hoc transitu interdum fibras ad conjunctionem Intercoštalis cum cervicalibus nervis largitur, vt infra videbimus. Exteriora et posteriora tenent Par Vagum cum connexo adhuc Neruo accessorio WILLISII, et certo respectu Par occipitale; infimum, quem etiam profundissimum vocare potes, siue vertebri proximum locum fere occupat Neruus noster Intercoštalis; media autem ferme inter haec est Carotis interna. Vagina iam dicta inferiora versus longe producit, et hasce partes sub se abscondit. Neruus praesertim Intercoštalis vaginam hanc ingrediens dimensione insigniter admodum augetur, et in Ganglion magnum illud, quod Cervicale primum siue superius nominari solet, expanditur. Ganglion hoc non quidem adeo gracile esse solet, vt passim pingitur, sed ex oblongo oualem ventrem format, qui antice et postice planus siue compressus adparet, et versus inferiora gracilescit. De caetero idem Ganglion rubicundi coloris et ex maximis in corpore humano esse solet, interdum in utroque latere aequaliter magnum, non raro tamen in vno vel altero latere maius vel minus deprehenditur, plerumque vltra pollicis mensuram longum, interdum vsque ad tertiam colli vertebri eiusque processum transversum pertingit.

#### §. V.

Ex eodem hoc ganglio vtriusque rami varii procedunt: et quidem ex interiore margine communiter duo satis magni oriuntur, quibus tertius gracilior subinde additur, qui directione satis transversa ad Pharyngis terminos, Oesophagi et Laryngis principia partesque conterminas excurrunt, secundus  
prae-





praesertim plerumque ad Laryngis vsque superficiem posteriorem pertingit versus eum Paris Vagi ramum laryngeum, qui sub Carotide defertur, dein membranae, inter Os Hyoides et Cartilaginem Thyroideam deprehendendae inhaeret, et in eius cartilaginis superficiem internam vsque sese insinuat. Quartus subinde adest, crassitie prioribus non inferior, qui infra eos ad angulum acutum emergit, et interdum, vt observauimus, ex anteriore Ganglii superficie aliquando ortum sumit. Is ad aliquod spatium oblique ad Laryngis latera descendens circa thyroideae circiter glandulae terminos sequenti statim nominando coniungitur. In ipso denique Ganglii fine quintus emergit recensitorum fere maximus, qui itidem ad angulum acutum descendit ad latus Carotidis rectae externum, cui plures ramulos impertitur, numero incertos, et qui nos nimis morarentur. Idem descendendo postea arteriae thyroideae regionem transgreditur, et tandem infra illam cum eo ramo trunci sui Intercoastalis, qui eam arteriam itidem superscandit, in communem truncum confluit, et cum eodem, vt infra describetur, neruum ex cardiacis Intercoastalibus vnum efformat. Singula haec interim, quae diximus, in vno quidem cadauere simul deprehendi possunt, non vero in omnibus eodem numero eodemque modo distributa inueniuntur, neque in vtroque latere semper ita se habent.

#### §. VI.

Ex eodem Ganglio, eiusque potissimum margine exteriori varii etiam posteriora versus deducuntur rami. Primus

B

inter





inter hos esse solet is, qui ad Par Occipitale siue decimum olim vocatum neruorum Cranii tendit. Ad hunc aliquando non longe ab origine sua Par linguale, eo in loco, vbi Carotidem transcendit, ramum breuem sed satis crassum reflectit. Eodem in loco et in eundem nexum interdum etiam ex superficie Vagi nerui posteriore, ramus deorsum amandatur; interim nostra etiam obseruatione confirmatur, multo frequentius inter Ganglion ceruicale superius et Neruum Vagum, praeter inuolucrum commune supradictum, alium nexum non exsistere. Infra hanc ad supradictum Occipitale par radicem, sequuntur aliae ad Paria neruorum ceruicalium. Breuibz nos non expediremus, si pauca vel saltem aliqua de his communicationibus, vel ramis inde deductis, in medium produceremus. Sufficiet indicasse, quod communiter radices hae fibras suas sursum deorsumque protendant, atque sic cum iis ceruicalibus Paribus, cum quibus neſtuntur, arcus variae capacitatis forment, ex quibus varii, iterum interdum inter se coeuntes, rami emergunt. Circa numerum et habitum earundem radicum, e Ganglio vel ex ipso trunco emergentium non parua diuersitas esse videtur. Ad omnes sic ceruicales, tales abeuntes recensent, tam priorum temporum, quam nostrae aetatis obseruatores, quibus, praesertim his, non facile fidem denegandam esse credimus. Ex nostra vero animaduersione constantissimae sunt radices ad Par primum ceruicale, et simili fere ratione ad secundum deductae, ast numero multo magis discrepantes. Modo enim ad primum simplex vel subinde duplex, ad secundum non vnica solum, sed etiam non raro duplex vel triplex quoque radix excurrit.





currit f). Non insolitum fuit, etiam ad tertium ceruicale Par ramum ablegatum fuisse. Ad quartum autem nihil hucusque certum nobis sese obtulit. De reliquis tandem ceruicalibus mox quaedam proponentur.

§. VII.

Truncus ipse Intercoastalis Nerui ex infimis Ganglii demum emergens, aut indiuisus deorsum tendit, Musculo colli recto interno incumbens, (cui etiam praesertim ex latere interno vnum alterumue ramum impertitur,) vsque ad arteriae thyroideae inferioris confinia; aut quod rarius fit, vltra hos terminos et versus subclauiam non ramosus permanet. In prius nominato tamen loco admodum frequenter in duos primarios ramos discerpitur. Atque id quidem interdum in vtroque latere, non semper vero in eodem exacte loco. g) Eam diuisionem, circa quintam colli vertebra factam, aliquo tempore ita obseruauimus, quae supra sextam vertebra intermedio transuersali quasi ramo rursus vnita fuerit, et ipso hoc concursu Ganglion paruum effecerit. Si in duos igitur ramos truncus diuiditur, vnus horum ex situs ratione interior, alter exterior vocari potest. Interior communiter arteriam thyroideam supra nominatam transcendit, et non solum inter se interdum insulam facit, sed et recipit ramum, ex Ganglio ceruicali superiori deductum, cuius antea (§. 5.) mentio facta est. Idem ille descendendo sub subclauiam arteriam sese con-

dit,

B 2

f) Hoc insuper rarissime, si vmquam, in vtroque latere exacte coincidit, sed multum plerumque variat.

g) v. g. In dextro aliquando paullo altius, quam in sinistro.





dit, et quantum ad Tracheae latera extra thoracem positus adhuc haberi potest, vertebrae colli vltimae aponeurosi fibrosa cohaeret, introrsum autem ad ramos Vagi recurrentes, et quidem in dextro circa subclauiam, in sinistro sub Aorta arteria reflexum aliquos furculos proiicit, cum iisdem nervis vnitos. Postea vero ad thoracem properans, et Tracheae anteriora magis petens Cardiacum neruum sui generis efformat, quem mox prosequemur.

### §. VIII.

Cogimur paullum relinquere hunc, et de eo Intercoastalis Nerui ramo quaedam sermoninari, quem (§. praeced.) exteriorem vocauimus. Hic igitur, qui posterior vel profundior etiam nominari posset, tam antrorsum et introrsum quoque, ad ipsum ramum interiorem seu anteriorem, aut antequam aut postquam h) ramum ex Ganglio ceruicali superiori cardiacum accepit, ramulos ablegat, quam ad ipsum thyroideae arteriae truncum deorsum aliquos furculos largitur, quod vtrumque interdum opitulante Ganglio paruo, sub arteriae thyroideae inferioris ramo thyroideo proprie sic dicto, circiter ibi, vbi ramos scaleni capiti secundo incumbentes dimittit, sito efficit, et quod, si adest, tertium et medium in collo erit. Ultra haec idem iste exterior ramus ex posteriore quasi sua superficie, circa quintam colli vertebam profundum ramulum vnum alterumue dimittit, qui vertebrae corpori adplicatus, ibidem varia ratione sese insinuare, et forte ad thecam vertebralem per-

h) Vtrumque simul fieri etiam deprehendimus.



pertinere videtur. Deinde idem retrorsum cum inferioribus ceruicalibus Paribus, nempe interdum cum quinto, frequentius cum sexto vel simul septimo, eorumque praesertim ramis, scaleni muscoli contermino capiti incumbentibus, communio-  
nem init, adeo vt ex hoc concursu, si praesertim tria nomi-  
nata ceruicalia Paria concurrunt, Ganglion longum, Ceruicali  
tamen Ganglio superiori gracilius formetur. Si pauciora ex  
ceruicalibus Paribus inferioribus vel vnicum saltem communi-  
cat, Ganglion minus pisiforme emergit, quod ex sexti cerui-  
calis Paris solius concursu, duplici autem radice aliquando fac-  
tum deprehendimus eum in modum, vt ipse ceruicalis sexti  
truncus, et vltcrius adhuc ramus eiusdem anterior, furculum  
vnum ad huius Ganglii conformationem tribueret, quod om-  
ni modo Ganglion ceruicale inferius nominari debet. Ex  
hoc ipso Ganglio ramus i) antrorsum exire solet, qui arteriam  
subclauiam vtriusque lateris superscandit, et anteriori lateri  
Ganglii thoracici magni primi insertus videtur. Hic ramus,  
si Ganglion ceruicale hoc ex quinti vel sexti ceruicalis Paris  
nexu formatur, longior esse solet, si vero Ganglion ex septi-  
mi concursu oritur, etiam hic ramus pro sita ratione necessario  
multo breuior euenit. Quod si autem indiuisus restat Intercosta-  
lis Nerui truncus (§. 7.) vsque ad regionem arteriae thyroi-  
deae inferioris, quatenus haec glandulae cognomini adpro-  
pinquat, tunc Ganglion illud Ceruicale medium arteriae thyroi-  
deae inferiori incumbens, vel proxime supra eam deprehen-  
dimus

B 3

i) Qui interdum bifidus ferme videtur, primarius tamen ramus hucus-  
que receptus, semper insignior existit.





dimus, quod ramos ex ceruicalibus eorum locorum reeipit, et antrorsum ramum proiicit, qui viciniam ipsius arteriae thyroideae sequitur. Vel etiam, si vsque ad subclauiae confinia simplex peruenit, Ganglion ceruicale inferius admodum paruum deprehenditur.

### §. IX.

Ex hisce, quae recensuimus (a §. 4. ad 8.) aliisque, quae studio omisimus, ne nimis diffusi euadamus, id circiter ex nostra obseruatione generale potissimum emergit: Intercoastalem Neruum in Collo decurrentem *primo* modo simplicem, modo bifidum esse, *secundo* duo communiter efformare Ganglia, superius nempe semper constans, inferius vero situ et forma varians. *Tertio* frequenter tertium exhibere Ganglion, quod Ceruicale medium tunc adpellari meretur, et quod modo ab ipso trunco Intercoastali solo, modo concurrentibus Paribus ceruicalibus componitur. *Quarto* denique idem illud Ganglion ceruicale medium mox arteriae thyroideae inferiori incumbere, mox vero sub eadem occultari. Interim tamen nobis non adeo confidimus, vt perpetuam aliquam regulam stabilire his ipsis moliamur. Suppeditamus saltem aliqua, secundum quae vel nostrae animaduersiones diiudicari, vel aliquo modo in tanta diuersitate in aliquem vsum conuerti possunt.

### §. X.

Exterior is ramus, quem antea tractauimus (§. 8.) postea ipsum Intercoastalis Nerui truncum quasi constituit, et ad thoracem retrorsum sese coniicit. Antequam vero de eius vltimo-  
 terio-





teriori itinere verba facimus, commodissimum erit, hic de nervis Cardiacis Intercoastalibus quaedam adducere. De his igitur id, quod vniuersim de Plexibus cardiacis valet, quoque monere debemus, magnam in eorum origine et directione deprehendi varietatem. Aut enim, vt (§. 5.) occurrit, ex Ganglio ceruicali superiori originem trahunt, et ramo anteriori (§. 7.) ex nostra obseruatione iunguntur: aut demum ex Ganglio ceruicali medio, vel ex diuisione trunci ipsius ibi occurrente deducuntur, vel ex Ganglio ceruicali inferiore, modo et communiter simplici, modo duplici, radice abeunt; interdum, quod rarissimum forte est, ex ipso Ganglio primo thoracico ortum sumunt. In eo tamen adhucdum aliquo modo conuenire videntur, quod lateris sinistri Nerus Cardiacus Intercoastalis, thoracis terminos dum attingit, Carotidis ex thorace adscendentis ductum deorsum sequatur, et in duos vel tres ramos distribuatur, quorum aliqui ramulos ex se dimittunt ad vertebrae thoracis superiores, et dein vel in pariete Aortae posteriore finiantur, vel Arteriae eidem ramos saltem largiantur, postea vero arteriae Pulmonalis trunco sese adcommodent, illique non solum immittant ramos, in reticuli formam inter se cohaerentes, sed etiam vsque ad ventriculum cordis anteriorem siue dextrum perueniant, et illius carnibus inferantur. Vnus vero horum ramorum, profundior semper situ, postquam furculos aliquos, insulae in modum aliquando diuaticatos et rursus connexos dimisit, ad Pericardium accedit, et dein inter Aortae truncum et Pulmonalem arteriam absconditur; vbi pinguedini ibi haerenti immersus, inter-





interdum Ganglion paruum, Milii semen circiter aequans et rubicundum monstrat, dum cum Vagi ramo cardiaco sui lateris ibi sito coit: ex quo robustior fit, ad latus sinistrum versus exteriora deflectit, atque adeo spirali quasi ductu inter Aortam et Auriculam cordis posteriorem siue sinistram emergens, vel statim ad basin Aortae substantiae cordis implantatur, vel in duos iterum ramos interstinguitur, quorum vnus posteriora versus circa auriculam posteriorem distribuitur, alter anteriora versus procedit, et in plura fila discerpitur, quae partim ipsam Aortam, ex cordis substantia propullulantem occupant, illiusque tunicis redduntur, partim per pinguedinem, ibi solito more haerentem, penetrant, et ad ipsos Cordis Musculos ventriculum posteriorem constituentes disseminantur. Dextri lateris Cardiacus nervus Intercoastalis, etiamsi sinistro interdum non cedat, sed aequè profunde ad cor penetret, frequentius tamen nobis minus nobilis hucusque sese obtulit. Is itaque si iam in collo ortus est, sub arteriam subclaviam se subducens, anteriora tamen Tracheae similiter conscendit, et supra ramum Vagi dextri, qui circa arteriam subclaviam recurrit pergens, ibidem cum eodem Vagi ramo communicat, (§.7.) simul autem directione ad angulum acutum oppositus Cardiaco cognomini nervo sinistri lateris, Pericardium quoque attingit, cui furculos aliquos reddit. Deinde ad Aortae superficiem anteriorem adpropinquans, ibidem in adeo tenuia fila discerpitur, vt pene consumtus ibi haberi potuerit. Si vero ex thoracico Ganglio primo ortum duxit, tunc introrsum determinatus Oesophago atque Asperae arteriae aequè ac

Venae





**Venae Azygae** propter proximitatem ramos impertitur. Postea versus plexum pulmonicum Vagi Paris deuolutus, cum hoc etiam vario modo implicatur et communicat; tandem Pericardio, et truncis Vasorum maiorum ibi prorumpentibus tenues ramulos largitur, atque his ipsis ibidem penitus absorbetur et euanescit,


### §. XI.

Truncus porro, siue ramus exterior Intercoastalis Nerui (§. praced.) ad colli terminos et thoracis limina perueniens, versus posteriora recuruatur, et non solum aliquas fibrarum complicationes efficit, sed et aliud Ganglion format, quod etsi ex aliqua parte in collo adhuc conspiciendum interdum se praebeat, et vertebralem arteriam portiuncula corporis sui cingat, aequae ac sub ipsa subclauia arteria lateat, thoracicum tamen primum non immerito vocatur, quia maxima saltem eius pars ad ipsum thoracem plerumque pertinet. Ganglion hoc concurrentibus vltimis ceruicalibus, praesertim vero a primo dorsali Pari construitur, et in foetibus vel iunioribus, propter pectus minus adhuc dilatatum, oblongam magis figuram obtinere solet, in adultis vero, quibus, ut satis notum est, pectus magis fornicatum fit, distractius deprehenditur, et hoc ipso modo in cornua quasi aliquot dirimitur. Cornua posteriora vel ipsae constituunt radices, ex spinalis medullae nervis deductae, vel rami in scaleni carnes ibi sitas dispersi. Anteriora tam Musculo colli longo destinantur, quam Oesophago, Asperae arteriae, Azygae Venae et sitis ibi aliis partibus implantantur, vel ipsi plexui pulmonali permiscantur. Si

C

quod





quod est, quod cordi exinde tribuitur, id ex (§. praed.) intelleximus. Truncus ex infimis Ganglii procedit, ex quo per totum fere thoracem inter vertebrarum corpora et capitula costarum positus est, et circa terminos saltem thoracis corporibus vertebrarum magis adpropinquat. Sub Pleura, stricta ibidem membrana, cum lateat, et arcte cellulosae tunicae cohaereat, planam siue compressam formam etiam adipiscitur, et retrorsum cum Paribus medullae spinalis intercostalibus singulis plerumque iungitur, mediantibus totidem parvis Gangliis. Fibrae communicantes interdum simplices, frequentissime bifidae vel duplices sunt. Directiones vero earum admodum variant, adeo ut super tres superiores unius lateris costas ad angulum fere rectum Intercostali nervo insertas, in sequentibus duabus ad angulum magis acutum descendentes, super tres alias sequentes ad angulum, recto non valde dissimilem trunco implantatas aliquando deprehenderimus; super nonam vero et undecimam costam iterum ad angulum magis acutum directas, et reliquas tandem ad angulum recto parum minorem accedentes viderimus.

## §. XII.

Non autem solum ex posterioribus accipere, sed et anteriora versus ramos porrigere solet truncus Intercostalis Nerui, per thoracem migrans. Nam ultra ea, quae ex Ganglio dorsali siue thoracico primo supra adduximus, circa quintam costam ramulum paruum introrsum emittit, ad vertebrae et ductum thoracicum distributum, praesertim vero aut e regione  
circi-





circiter sextae costae, aut super eandem circa sextam dorſi vertebram filum longum interiora verſus protendit, quod in vertebrarum corpora adſcendens, mox ad radices Azygae Venae, ibi praesentes diſpergitur, et interdum ſub eiusdem Venae trunco pergens, uſque ad vertebram thoracis octauam pertingit, et in Aortae parietibus finem inuenit: mox in modum bifurcationis, a trunco factae, poſtquam ad Azygam ſurculos indicatos dederat, primordia iam conſtituit Trunci anterioris thoracici Intercoſtalis, qui tamen non ſemper adeo altas origines, ſed interdum duarum fere coſtarum interuallo inferiores agnoſcit. Idem ergo hic truncus anterior pluribus radicibus in decurſu per thoracem, varia tamen in diuerſis indiuiduis corporibus relatione, aut oritur aut augetur, et quidem vna ſuper coſtam octauam, vel ad vertebram dorſi nonam, dein alia ad latus vertebrae decimae, interdum adhuc vna ad vndecimae vt et vltimae thoracis corpus ex trunco poſteriori ad formandum anteriorem deducitur. Non tamen omnes ſimul in vno exemplo haecenus deprehendimus, ſed plerumque ita habuimus, vt rarius aliquid amplius ex trunco poſteriori ad anteriorem deceſſerit vltra vertebram dorſi decimam, ſi anterior iam circa ſextam vertebram vel coſtam ortus fuit; ſi vero circa octauam coſtam emerſit, inferiores a nobis adductae radices locum etiam potiffimum habent. Omnes interim hae radices, quot adſunt, et truncus ipſe anterior ex iis conflatus vertebrarum dorſi corpora adſcendunt, et iter ſuum abſoluunt vſque verſus appendicem Diaphragmatis anteriorem, quam etiam ſuperat, et vnum alterumue ramulum ipſius carnibus tradit, poſt haec vero ad abdomen properat.





## §. XIII.

Postquam igitur hoc modo abdomini sese commisit truncus anterior Intercostalis Nerui, paullo crassior fit, et mox infra Diaphragma, ad summum circa secundam lumborum vertebram immergitur Ganglio isti magno abdominali sui cuiusque lateris, quod semilunare vocari solet, et quidem ita, vt cornu eiusdem exterius siue posterius ingrediatur, vel potius sub eodem, siue in illius latere vertebris obuerso, communiter occultetur et absorbeatur. Ganglii huius situs aliquo modo transuersalis haberi potest, ita tamen vt homine supino concavus eius margo Diaphragma, et conuexus abdominis viscera inferiora respiciat, interior vero seu anterior pars semper altiorem locum occupare videatur. Multo magis variabilis est eius conformatio. Communiter, si vnicum lobum constituit, siue si integrum est, fabae maioris et figuram et magnitudinem bene aequat, praesertim quod ad exteriora attinet: et tunc interiora versus in aliquot quasi cornua diuergit, ad Coeliacam arteriam vel Aortam directa. Frequenter tamen ex pluribus coagmentatum deprehenditur lobis minoribus, qui modo diuaticati a se inuicem, modo iterum coeuntes inter se conspiciuntur. k) Interdum ad quinque vel sex numeravit D. PRAESES. Rebus sic se habentibus, statim iam in limine colligi poterit, distributionem ramorum, ex hoc Ganglio ductorum non parum variare posse, praesertim cum adeo late sese diffundant, et non solum omnibus visceribus prospiciant,

k) Vide EIVSDEM Dissertationem De Praecordiis. anno 1753. habitam.  
§. 2. pag. 8.





ant, quae in Praecordiis sita sunt, sed et ulterius etiam se-  
pandant. Si singulis varietatibus recensendis strictius inhaere-  
re vellemus, praeriperemus nobis spatium, singulari alicui  
huius Ganglii structurae describendae destinatum, quae prae-  
cipuam nobis occasionem subministravit haec consignandi. An-  
tequam igitur aliquid aliud agamus, ad eius explicationem  
progredimur.

#### §. XIV.

Figura Ganglii semilunaris picta est ex latere dextro cada-  
veris masculini, de quo haec saltem praemonemus, quod truncus  
anterior Intercoastalis Nerui in eodem subiecto vtrunque quidem  
ad octauam costam ortus fuerit, in reliquis vero inferioribus radi-  
cibus, et ipsius trunci conditione, aliquam differentiam, quod ad  
quaedam attinet, non valde frequentem monstraverit. In sini-  
stro enim latere radix prima ad octauam costam emergens, circa  
nonam costam alia radice breui aucta fuit, ex trunco de nouo  
orta; postea vero iter suum continuavit, separatum quasi trun-  
cum faciens et arteriae Aortae ductum sequens, usque ad vlti-  
mam thoracis vertebrae, in qua ramo transverso communi-  
cavit, cum aliis duabus radicibus, quae ex trunco Intercoasta-  
lis Nerui posteriore super decimam et undecimam costam pro-  
tensae, in vertebrae conterminae corpore statim unitae, se-  
cundarium quasi truncum anteriorem fecerunt primario, quod  
ad situm, paullo posteriorem. Vterque truncus anterior ab-  
hinc, facta in vltima dorsi vertebra communione, iam breui  
ante adducta, Diaphragmatis appendicem transgressi sunt per  
communem hiatum: anterior primarius ipsi appendicis carni





aliquas fibras immisit, et postea arteriae renali superiori, quia duplex hic fuit, incumbens, marginem posteriorem seu exteriorem Ganglii semilunaris sinistri intrauit; anterior secundarius autem in confinia arteriae renalis superioris delatus, post eandem quidem occultatus est, reflexus tamen inter arteriam renalem hanc superiorem et inferiorem in ipso bifurcationis loco rursus emerfit, et circa superiorem anasae in modum adscendens, superficiei Ganglii eiusdem semilunaris posteriori, quod integrum et indiuisum in hoc latere fuit, demum implantatus est. Dextri e contrario lateris truncus Intercoastalis anterior, ad costam octauam etiam ortus, vnicum caudicem constituit l), et in vltimae dorli vertebrae medio corpore ramum accipit, circa vndecimam vertebam ex trunco posteriori m) abscedentem; ex quo concursu Ganglion paruum oblongum struitur, quod alioquin non facile occurrit. In eodem loco introrsum oblique deorsum ramus amandatur n), qui in prima vertebra lumborum Aortam attingens, post eandem ramulum mittit, trunco autem suo, Ganglii structuram et colorem exacte adeptus, Aortam ipsam conscendit medio inter Coeliacam et renalem arteriam spatio, qui arcuato et serpentino aliquantum ductu Coelicae dextro lateri sese adcommodat, ac ibidem non solum magnam plexus Coeliaci partem vna cum reliquis constituit, sed et sub Vagi dextri trunco ibi ad eundem plexum concurrente,

ramum

l) Vide figuram nostram lit. A.

m) Vide figuram lit. B. et c.

n) Vid. figuram lit. C.





ramum vnum o) cum filis aliquot paruis accipit, ex cornu vno Ganglii semilunaris sinistri deductis, arteriam traiicientibus et ad eundem plexum pertinentibus, paullo ante eum locum, vbi ex eodem Ganglio sinistro ramus Coeliacam itidem transcendit p), non vero huic, quem tractamus, arcui, sed tertio strato ganglioso, infra describendo commiscetur. Tandem idem noster ramus, Vago propius accedens, non solum aliquos furculos, gangliosam indolem conseruantes, ad ipsam Vagi dextri in hos plexus insertionem ablegat, sed et cum ipsius Vagi trunco intime concrefcit eo potissimum in loco, vbi Vagum huius lateris duos bene conspicuos ramos q) emittit, Coeliacam superantes, et versus Venae Portarum truncum properantes, plexui hepatico eius loci committendos. Truncus demum anterior ipse, ad vertebram lumborum primam recta via descendens, ibidem transuersali ramo r) cohaesit cum radice, ex trunco posteriore ad dorfi vltimam vertebram deducta s), et dein Diaphragmatis Appendicem transcendens illique ramum concedens t), aequae ac posteriora versus dictam trunci posterioris radicem sub se habens, confluit cum eadem in communem aliqua ex parte truncum super arteriam renalem dextram, et sub rene succenturiato eius lateris, qui cuncta haec in situ naturali constitutus fere obteggit. Post eam vero,

o) Vid. figuram lit. o.

p) Vide figuram lit. n.

q) Vide figuram lit. r. et s.

r) Vide figuram lit. D.

s) Vide figuram lit. f.

t) Vide figuram lit. θ.





ro, quam notauimus, vnionem Truncus anterior gangliosus esse incipit, non tamen omnes eius fibrae in fabrica gangliosa penitus absorbentur, sed anteriores potius, aliis transuersis ex ipso ganglioso arcu incipiente occurrentes, trianguli fere in modum cum iis concresecunt, et ramulos aliquos ad superficiem renis succenturiati dextri posticam, eiusque marginem exteriorem dimittunt u). Hoc facto Truncus anterior Inter-costalis, Ganglii naturam seruans, teretem et passim tuberculolum funiculum superficiei sua anteriori et superiori mentiens x), arcuato flexu introrsum curuatur, et primo ex interiore suo margine ramulum, prius in membranae formam dein in teretem furculum formatum, dimittit ad renis succenturiati superficiem posticam eiusque marginem interiorem y), deinde vero deorsum ramulos varios largitur, qui tam ad plexum hepaticum, venae Portae potissimum, quam ad membranas ibidem deprehendendas distribuuntur z). Postea vero sursum protensus, cum ramo supra descripto ganglioso, et dein mediante hoc cum ipso Pari Vago dextro firmissime concresecit, simul autem hac ratione primum et proprium quasi stratum Ganglii semilunaris efficit. Secundum vero eius-

u) Vide figurae lit. m. exteriorem.

x) Vide figuram lit. H.

y) Vide figurae lit. m. interiorem: vbi ramulus super ipsum arcum extensus repraesentari debuit, quia Ren succenturiatus ex situ remotus dependet.

z) Vide figuram lit. l. l. vbi tamen notandum est, neque hos ramos in situ naturali penitus exhiberi potuisse, ob Hepar ad sinistra repositum et alia circumstantia.





eiusdem stratum, et ex parte tertium, a lobo aliquo oblongo ganglioso pendet, a) qui partim a Trunco Intercoastali anteriore proprie dicto, eiusque superficie posteriore seu inferiore, partim a radice trunci Intercoastalis posterioris supra descripta figuratur; ad quae dein accedit, quod inferior eius praesertim pars, arteriae renali proxima, recipiat ramum alium, ex trunco posteriori circa vertebam lumborum primam emissum b), et transuersis fibris cum reliquis in itinere vnitum. Lobus hic, postquam introrsum et transuersim vix dimidium pollicem emensus est, in duo diuiditur strata, quorum primum, altius infimo, atque sic medium inter duo reliqua c), cum vtroque tamen inseparabili nexu cohaerens, sub primo strato ad aliquam, sed breuem distantiam occultatur, mox vero non solum in concaua arcus parte strati supremi rursus emergit, semper tamen situ profundius manet, et in trabem trifidam terminatur, quae plexui coeliaco copiosissimis atque vix explicandis ramis penitus imiscetur; sed etiam infra conuexam arcus supremi strati partem in conspectum prodit, atque introrsum in membranam nerueam pluribus filis interstinctam expanditur, quae potissimum strati tertii Ganglia et ramos sub se abscondit: d) retrorsum et deorsum vero in aliquot trabes, Ganglii naturam seruantes dirimitur, quae plexum renalem, non solum arteriae incumbentem, et ramos inde vltius productos

D

a) Vide figuram lit. K. exteriorem.

b) Vide figuram lit. g.

c) Vide figuram lit. I. I.

d) Vide figuram lit. K. interiorem.





ductos componunt, sed et furculum circa arteriam renalem, eiusque faciem posteriorem coniiciunt e), eidem visceri destinatum. Stratum denique tertium, ex eodem Lobo depromtum, statim et quidem potissimum ex facie posteriore seu inferiore proxime ad arteriam renalem tria quasi cornua demittit, pluribus aliis filis comitantibus, quae circa arteriam plexum facientia conuoluuntur, et vnum praesertim ramulum, quem figura exprimit, ad posteriorem arteriae parietem ablegant f), dein vero visceri pro more copiose prospiciunt. Quartum vero eius cornu, vna cum reliquo Lobi gangliosi corpore, sub strato secundo interiora versus sese insinuat, et praesertim sub vltimi huius expansione membranacea tectum latet, g) truncoque Aortae incumbit, vbi non solum gangliosus aliquos nodos adhuc efficit, qui per membranam incumbentem aliqua ex parte transparent, sed et innumeros fere ramos inter Coeliacam et Mesentericam superiorem arteriam spargit, qui Coeliaco et Mesenterico plexui, ab vtriusque lateris nervis formato, copiosissimis quidem insertionibus permixti, ita tamen inter se et alias plexuum fibras intricati fuerunt, vt in nostra figura absque destructione aliarum neque pingi potuerint, neque describi etiam nunc valeant verbis, quae absque icone vix obscuritate carebunt in tanta complicatione. Ultra haec intra arcum supremi strati, vt et trabem superiorem secundi, in

e) Vide figuram lit. i.

f) Vide figuram lit. k.

g) Vide figurae lit. K. interiores.





in expansa ibidem membrana neruea, Lobi adhuc tres potissimum h) siti sunt, qui non solum inter se copiosis vinculis connexi sunt, sed et strato secundo et toti complicationi nerueae, ibidem praesenti, plurimis fibris adfixi deprehenduntur. Quamvis autem neque fabrica, neque densitate, neque colore, a nodis lobisque descriptis gangliosis discrepent, sed iis ad omnia simillimi sint; malumus tamen fere, eos iam Glandulas lymphaticas declarare, quam Gangliis accensere: siquidem Glandulae eiusmodi frequenter circa haec loca ponantur, et lympham ex Hepate et confinibus recipere soleant; adhaec in eodem indiuiduo cadauere copiosissimae et turgidae tam alibi quam in hac plaga exstiterint, vbi praesertim non paucas studio remouimus, ne reliqua obscurarent, has vero ob adductas rationes retinuimus. Interim si quis ex hac faciei reliquorumque adfinitate, aliquam ad vsus et officii paritatem colligeret coniecturam, fortassis neque inutilem neque vltiore disquisitione indignam rem proponeret.

#### §. XV.

Peculiaris Ganglii huius expositio, etsi concisa, nos adeo morata est, vt non solum alios Ganglii eiusdem habitus, et ramos, ex eodem et toto Intercoastali Neruo ad plexus viscerum vtriusque lateris abeuntes speciatim persequi nequeamus, sed et reliquis de nostro neruo notandis paruum saltem tempus et spatium dare valeamus. Hinc ad truncum posteriorem reuertimur, quem in exitu ex thorace supra (§. 12.) di-

D 2

mi-

h) Vide figurae litteram K. superiorem, et litteram. X.





misimus. Eum in figura nostra videmus, quod, postquam ex intercostali ultimo radice auctus fuerat, antrorsum inferiora et interiora versus, ramum plexui renali concedat, Ganglio semilunari adfixum, et dicto plexui postea permixtum i). Deinde vero, et fere semper etiam absque hoc casu, in primae lumbaris vertebrae corpore admodum gracilis deprehenditur, usque dum retrorsum a primo lumbarium nervorum Pari nanciscitur ad angulum plerumque acutum adscendentem, longum et conspicuum ramum, qui frequenter ipsi trunco Intercostali si non maior, tamen non minor est. Similia fere, vel ad angulum paullo rectiorem, fiunt a Pari lumbari secundo, ex quo truncus Intercostalis noster robustior, et vel Ganglio modice crasso et oblongo similis, vel saltem notabiliter latior euadit. Hoc itaque augmento opitulante, ramos introrsum etiam ablegare de nouo valet, dum primae, eiusque cartilagini subiacenti, dein secundae et tertiae lumborum vertebrae incumbit. Si in prima lumborum vertebra aliquis adest ramus interior, is ad plexum renalem abit, in ambabus sequentibus vero plures, ad tres usque, occurrunt, qui plexui mesenterico inferiori et hypogastrico committuntur vario modo, et ab utroque latere inter se communicare solent. Vidimus aliquando cunctos hos, circa tres superiores lumborum vertebrae descriptos ramos, arcuato flexu vtrimque eleganter ita inter se ad Aortae latera et super eandem concatenatos, ut peculiarem quasi sui quemque lateris trun-

i) Ramum hunc figura sub lit. g. repraesentat, qui in huius cadaueris utroque latere adfuit, conf. §. 14. not. b).



truncum anteriorem, satis planum latumque effecerint k), quorum quilibet ad plexum hypogastricum coniunctim suas partes tribuens vna cum ipso Ganglion planum, super Aortam adhuc positum formauit, ex quo plurima fila circa lumborum finem et ossis sacri principia, in membranas et partes adiacentes distributa sunt. Truncus deinde posterior per lumbos delatus, retrorsum a reliquis inferioribus lumbaribus porro accipit radices suas, interdum bene magnas, ad angulos plerumque obtusos l). In hoc per vertebrae lumbares decursu, in medio fere quartae vertebrae ramum aliquando introrsum dimittit, sub Aorta decurrentem, qui dum infra emergit, circa arteriam sacram in ramos discerpitur. Praeter haec vero multos, sed numero et habitu diuersos furculos mandat ad glandulas lymphaticas, hic locorum non infrequentes. Tandem in lumborum terminis constitutus, modo satis crassus adhuc, modo insulam faciens m), modo in membranaceam fere teneritatem expansus deprehenditur, vsque dum ossi sacro sese adcommodat.

D 3

§. XVI.

k) Et hoc quidem ita, vt in dextro latere tres rami concatenati Aortam transgressi, plexui hypogastrico inserti fuerint: In sinistro vero primus arcus plexui renali, secundus demum et tertius mesenterico inferiori sinistro, et postea infra arteriam mesentericam inferiorem plexui hypogastrico implantati fuerint.

l) A quarti lumbaris accessu, in trunco super locum vnionis Ganglion modicum factum fuisse, vidimus aliquando in latere dextro.

m) Trifurcum semel deprehendimus, in latere sinistro super corpus quintae vertebrae, vnitum tamen rursus in vnum truncum super cartilagineam, inter vltimam lumborum et primam sacri ossis interiectam.





## §. XVI.

Sacri igitur ossis vertebrae dum attingit Truncus noster posterior, secundum earum curvaturas etiam reclinatur, et latus exterius tenet; simul autem crassitie de nouo insigniter augetur, quia cum quatuor praesertim superioribus sacris nervis concrevit, quin etiam per totum tractum gangliosus frequenter occurrit, et quidem plerumque ita, ut quaelibet ex sacris nervis accedens et brevis communiter radix, ordinaria lege transversim in unionem veniens, peculiare suum quasi ganglion efformet. Ex primi paris connexione plurimi ramuli, ad membranas determinantur, post intestinum rectum sitas, et ad ipsum intestinum pertinentes, qui interdum plexum imitantes, usque ad vesicae urinae proximitatem excurrunt n). Ex secundi paris concursu itidem introrsum plurimae fibrae, plexus in modum coeuntes, ad posticam intestini recti superficiem deferuntur; extrorsum vero, praesertim tunc, si istae a primo pari sacro deficiunt vel obscuriores sunt, aliae usque ad vesicae urinae latera et corpus tendunt, in eadem simili fere modo terminatae. Ex paris tandem tertii et quarti sacri communione truncus subinde ita potens adhuc fit, ut copio-

- n) Aliquando in dextro latere circa hunc locum ita observavimus, ut bini rami cardinales, ex trunco bifurco et ganglioso emerferint, quorum primus, cum pari secundo sacro transverso ramo unitus, recta protenderetur, dein sub pari tertio sacro transiret, et postea usque ad latus vesicae urinae excurrere, ibi per totum eius corpus dispergeretur; alter dein multis complicationibus in posticis intestini recti et partibus contiguis finiretur: trunculus vero in pari tertio sacro, mox postquam ex foramine suo emerisset, finem inueniret.




piofissimas fibras, intricatis in modum plexus fibris, ad plagam intestini recti posticam infimam mandare possit, quae usque ad os Coccygis et partes annexas producuntur. His autem quoque modis Nervus Intercoastalis finem inuenit demum suum, et evanescit penitus, postquam a Capite usque ad infini ventris extrema viam destinatam expleuit.

### §. XVII.

Haec circiter sunt, quae de Neruo Intercoastali nunc in medium proponere volumus. Cum propriae animadversiones, et quidem adhuc in compendium redactae, impleuerint spatium tractationi huic destinatum, non suscepimus iam nostra cum aliorum Auctorum observatis conferre, ubi concordent vel discrepent, sed id negotium in commodam forte aliam occasionem differimus. Ex iis autem, quae diximus, satis patescit, Nervum Intercoastalem, cum neque ex Cerebri Cerebellique, neque ex spinae medulla directe procedat, proprie nihil aliud esse, quam complexum unionis nervorum medullae spinalis cum quibusdam Nervis Capitis. Haec igitur generalis consideratio utilia quaedam pro exponendo frigore febrili subministrare potest. Satis enim notum est, febrium magnam classem, praesertim intermittentium, aut vitia primarum viarum Viscerumque in Praecordiis sitorum, pro causa agnoscere, aut saltem eadem connexa habere: Deinde frigus febrium, potissimum intermittentium, dorso ante omnia molestum esse. Hoc potissimum inducti sunt quidam, ut huius symptomatis rationem in pravas materias, circa medullam spinalem eiusue membranas collectas reiecerint. Perspecta autem Nervi Intercoastalis distributione in Praecordiis, et considerata eius.





eiusdem per totum spinæ tractum vnione, proxima phaenomeni ratio per semetipsam patet, qua prauī succi fila neruea Praecordiorum vellicantes, strictiones statim ad totam spinam et ad caput rapiant.


### §. XVIII.

Inter pathemata, ab infimo ventre ad caput effectus suos transferentia, non parum dolorificum esse solet id, quod *Clauus Hystericus* nominatur. Huius locus potillimum frons et vertex esse solet, ast admodum frequens quoque ex nostra obseruatione praecise circa foramen orbitare superius, o) per quod ramus *Paris Quinti ophthalmicus* ad frontem procedit, rarissime infra orbitam deprehenditur. Remotior forte saltem est huius rei solutio, dum radix *Intercostalis Nervi* a ramo maxillari superiori, supra nominata sola in auxilium vocatur, a qua ad ophthalmicum ramum e longinquo quali saltem propagaretur. Nihil enim impediret, quo minus idem dolor fixus multo frequentius occurreret ad radices vel fundamenta oculorum, vt in aliis morbis muliebribus, p) et rarius modo ad frontem et verticem propagaretur. Data vero immediato inter ophthalmicum ramum et *Intercostalem Nervum* nexu, cuius supra (§. 2. et 3.) mentionem iniecimus, proxima

o) Similia recenset Ill. *HEISTERVS*. In *Obseruat. Medic. Chirurgical. et Anatomicarum suarum Parte I.* p. 437.

p) Vide de his *LOMMIVM* in *Obseru. Edit. Ien.* p. 234. et p. 244. vt et alibi. Similem dolorem in foramine orbitari inferiore cum rubore eius loci mox transeunte, sed saepissime recurrente, obseruauimus in *Epileptico aegro*, cum paroxysmi per curam decreverent.





ma emergit et loci et frequentiae ratio, quantum de ea in nervis situm est.

### §. XIX.

Dentium dolores ad aurium internam vsque cauitatem propagari, pluries obseruatur. Quibus propinquiora non suppetunt, illi in nervos dentales eorumque truncos confugiunt, qui cum nervo duro auditorii siue septimi Paris communicant q), cui tamen vix hac in re aliquid vel parum certe tribui potest. Quando vero ramus nervi maxillaris superioris ad auris cavum interius distributus, quem (§. 3.) notauimus, consideratur, non deficiet prompta et proxima explicatio, quae etiam non parui subsidii esse potest, circa tinnitum et susurrum aurium plenissime intelligendum, qui frequenter accidit iis, quibus vel anima deficit, vel ventriculus subuertitur.

### §. XX.

Vt alia denique praetereamus, subsistimus in consideratione summae imbecillitatis, quam menstruorum, praesertim vero haemorrhoidum fluor copiosus, multo magis nimius, vel subito prorumpens quibusdam inferre solet, adeo ut ingens periculum minetur, et exhausto naturae thesauro vires hominis consumat, ut LOMMIVS de ea loquitur r); etiamsi experientia constet, in aliis, praesertim extremis partibus, multo maiorem sanguinis quantitatem intra breue tempus educi  
E  
posse

q) Factum id est in citata Dissertatione de Quinto pare nervorum cerebri pag. 115. ad not. l) et alibi.

r) Vide Eiusd. Obseru. Med. p. 175.





posse, neque similia insequi, sed potius aliquando vires instaurari, vel aegro leuamen induci. Multo excellentiora, vel saltem eadem ad minimum, eueniant necesse esset, quando non quidem pro necessariarum legum norma, coeco forsitan impetu, sed secundum instinctus rationales ex sedis aut genitalium vasis sanguinem tunc protrudi putatur. Dummodo autem copiosas filorum nerueorum complicationes (§. 16.) in pelui a nobis breviter recensitas intuemur, dubii haerere non possumus de effectibus exinanitionis, cor et connexa breui debilitantibus. Similia fere aut grauiora de Coccygis dislocatione violenta vel fractura, ex parte quadam ab iisdem caussis pendere possunt. Plura tam de statu sano, quam morbofo quo minus introducamus, pro sua quisque beneuolentia, nos excusabit.

F I N I S.





# FIGURAE EXPLICATIO.

- A. Truncus Nerui Intercoastalis dextri anterior.
- B. Truncus Nerui Intercoastalis dextri posterior.
- C. Ramus Intercoastalis trunci anterioris, Aortam superans et Coeliacae arteriae adplicatus, stratum primum gangliosum incipiens.
- D. Truncus Intercoastalis anterior, stratum primum gangliosum maximam partem absolvens.
- e. Radix ex trunco Intercoastali posteriori ad anteriorem ducta.
- f. Radix ex posteriori ad anteriorem truncum ex parte producta super duodecimam dorso vertebrae.
- g. Similis radix sub Lobo K. ad plexum renalem deuoluta.
- H. Stratum gangliosum primum.
- I. I. Stratum secundum.
- i. Ramus ex strato secundo ad posteriora arteriae renalis dextrae deuolutus.
- K. *Exterius* et K. *interius*, stratum tertium denotat.
- K. *Superius* et X. Glandulae, ut videntur, lymphaticae.
- κ. Ramus circa arteriae renalis posteriora delatus ex strato tertio.
- l. l. Rami neruei ex strato primo ad plexum hepaticum Venae Portae et membranas adiacentes.
- m. m. Rami ad Renem succenturiatum.
- n. Ramus ex Ganglio semilunari sinistro circa Coeliacam conuolutus, et strato tertio dextro insertus.
- o. Similis strato primo dextro eiusque ramo C. accedens.



P. Par Vagum dextrum.

Q. Paris Vagi sinistri ramus dexterior, ex quo fibrae ad membranas circa Lobum Spigelii deferuntur.

r. s. Paris Vagi dextri rami duo, ex ipso cum Intercoſtali nexu ad plexum hepaticum Venae Portae deuoluti.

t. Plexus meſenterici initium, ad ſiniſtra reclinatum, quod componunt plexus Coeliacus, Ganglia ſemilunaria vtriuſque lateris et Par Vagum.

U. Arteria Coeliaca, paulum ad ſiniſtra retracta.

V. Aortae Arteriae truncus.

W. W. Arteria renalis dextra, paulum reuerſa, vt poſterior eius ſuperficies, ex parte, ſumma teneat.

θ. Appendicis Diaphragmatis portio.

Y. Ren ſuccenturiatus dexter, ex nexu ſolutus et dependens.

Z. Portio pinguedinis renalis.

α. Ren dexter ad vertebraſ inclinatus et pendulus.

β. β. Hepatis abſciſſi et ad ſiniſtra reclinati portio.

γ. Vena Caua abſciſſa.

ε. ε. Ventriculi Corpus ſublatus, et ad ſiniſtra thoracis repositum.

θ. θ. Oeſophagus corrugatus, et ſitu paullo mutatus.

Numeri 11. 12. 1. Vertebraſ vltimas thoracis et primam lumborum notant.





